PROSPER ALPINVS
ERVDITIS LECTORIBVS.

EX Aegypto, in qua ego nonnullos annos medicinæ causa olim moram feceram, Deo annuente, in patriam reductus, Patauium quamprimum me contuli, vt Melchiorem Guilandinum (virum in omni genere scientiarum clarissimum, ac in plantarum cognitione nulli hoc æuo secundum, mihiq; plurima necessitudine coniunctissimum) salutationis gratia conuenirem: A quo humanissime acceptus, aliquot dies apud illum fui, in quibus multa inter nos de Aegypti regione, cœlo, temperie, & de illorum corporum habitu, temperamento, locuti sumus, de medicis, ac morbis, quibus illa regio abundat, & de medicina penes illos populos vsitata, ac denique de plantis, quæ illis in locis nascuntur sermones aliquos habuimus. Is igitur me postea, vt illa, quæ inter nos commentata fuerant, litteris mandarem, obnixe rogauit, & suasit, fore enim, vt non parum vtilitatis, ac voluptatis ex his ad medicinæ studiosos accedat. Cui cum non parere ac obsequi, turpe putarem, quanta cura, & studio potui, eosdem ipsos à nobis per id temporis habitos sermones in quinque libris diuisos,

usos, ac digestos, sub nomine Aegyptiorum medicinæ (quando de illa tantum agere nostrum præcipuum fuerit institutum, neque de alijs, nisi illius gratia) comprehensos, scriptis tradidi. Quos cum à multis desiderari forte intellexerim, quamplurimis etiam id mihi medicis doctissimis persuadentibus, præsertimq; Hieronymo Mercuriali, ac Alexandro Massaria hac tempestate medicis celeberrimis, ne horum voluntatem aspernari, & multorum vtilitati inuidisse videar, ipsos in lucem proferre non sum veritus. Hos itaque eruditi lectores candido animi accipite, legite, ac bene consulite. Quod si ego hos vobis gratos fuisse aliquando intellexero, alia his grauiora, atque vtiliora in arte medendi studia, à me multo labore, ac vigilijs aliàs elucubrata, atque informata, vobis medicinæ amatoribus communicare non recusabo. Valete.